

sto proponere voluerunt. Quarto *fundamentalis* omnium concionum Evangelicarum, vel etiam doctorum & scriptorum de Christo vel nostræ salutis negotio *traditio*, quia nihil unquam, nihil usquam de Christi vel salutis mysteriis in toto mundo fuit publicatum, quod *fundamentaliter* in *primæ revelationis summario* non fuerit indicatum. Propter hæc & alia Prot-Evangelium suo jure *compendium totius Scripturæ* tum *Novi*, tum *Vet. Testamenti Compendium divinæ veritatis, totius Theologiæ, Compendium omnis coelestis sapientiæ nuncupatur*: cum primis *Compendium Christologias* appellatur, quia Christus *Intimum, Optimum, Maximum & adæquatum* Scripturæ non tantum, sed etiam universæ Theologiæ semper est & manet *objectum*, imo non tantum *objectum*, sed etiam *σύντομος συνοπτικόν τε*, imo pariter Alpha & Omega, Apoc. I. v. 8. & quia Christus variis modis considerari potest ipsum *Prot-Evangelium salutiferæ Christologias Compendium* salutavit. Primo Christus *ὁ ἀρχηγός τῆς σωτηρίας Princeps & Auctor salutis nostræ*, ad Hebr. II. v. 10. Secundo quia Christus unice est nostræ salutis *materia*, dum *Christum habere, est omnem salutem habere*. Tertio, quia verus Christianus dicere necessum habet:

Nil ego sum: novi: volo: possum: nil habeoque

Omnia Tu solum Christus ut esse velis.

Omnia Tu solum Christus ut esse queas.

Quarto, quia solus *Christus est omnium salvandorum forma*, quo posito ponitur ipsa *salus*, quo remoto, removetur omnis *salus*. Quinto, quia Christus est *vera*, vel etiam *mera*, salutis *meta*, seu *finis*. Sexto, quia Christus est omnis salutis, imo salvandorum omnium *τὸ πᾶν*, dum *Christum per veram fidem habere, est omnem salutem habere*.

§. V. Qua.